

UN TRATADO DESCONOCIDO DE TOLEDO SOBRE MELQUISEDEC

por

J. A. DE ALDAMA S. I.

Ofrecemos en las páginas siguientes un interesante tratadito de Toledo sobre Melquisedec. Obra más que exegética, teológico-patristica, ya que reúne lo principal que han dicho los Santos Padres sobre el célebre Rey de Salém, figura del sacerdocio de Cristo. Claro es que el autor no puede desentenderse de los herejes de su tiempo, ni dejar de tener muy presente el sacrificio de la Misa, prefigurado por Melquisedec. Pero no es esto lo principal en el tratado, ni es su intención primordial. De todos modos, este inédito de Toledo aporta luz muy importante sobre sus conocimientos y sus gustos patristicos.

El tratado se encuentra en el manuscrito granadino, que más arriba hemos descrito ⁽¹⁾. Es un primer borrador con numerosas correcciones, tachaduras y añadiduras. Así, por ejemplo, todo el folio 12r y la mitad del 14r están tachados, al igual de cuanto se había escrito a lo largo del margen en el folio 12v. Dígase lo mismo de la segunda mitad del folio 17r y la primera del folio 17v. Las adiciones son también numerosísimas, como, por ejemplo, en la casi totalidad de los márgenes en los folios 13, 14, 15 y 17.

El tiempo de composición del tratado parece que hay que fijarlo entre 1589 y 1593. La fecha posterior nos la da el hecho de que parece ser obra anterior al Cardenalato; la fecha primera puede determinarse con dos citas que hay en el mismo tratado.

(1) Véase pág. 35-41.

En efecto, en el folio 14v se alude a la edición de los Setenta, hecha en Roma el año 1587⁽²⁾; y en el folio 13r se remite expresamente al Comentario del Evangelio, que publicó Toledo en 1588⁽³⁾.

Sobre el contenido del tratado vamos a hacer unas indicaciones.

La materia se desenvuelve de una manera progresiva. Ante todo la persona de Melquisedec, en los seis primeros capítulos. La base de esta parte la forman las diversas herejías que han querido hacer del Rey de Salém un ángel mayor que Cristo (cap. 1), el Espíritu Santo (cap. 2 y 3), o el mismo Hijo de Dios (cap. 4); y en otro orden de ideas, un hombre engendrado milagrosamente (cap. 5), o identificado con Sem, el hijo de Noé (cap. 6). Estas teorías se exponen y se refutan brevemente.

A continuación trata Toledo del reino de Melquisedec y de la ciudad de Salém, de la que el Génesis le llama rey. Para él, no se trata de la ciudad llamada después Jerusalém, sino de otra ciudad situada junto a Sichem (cap. 7).

Sigue en tercer lugar lo que se refiere al sacerdocio de Melquisedec. Sacerdocio fuera del sacerdocio Aarónico y superior a él, consagrado desde luego al culto del verdadero Dios; sacerdocio que no se transmitía por sucesión de padres a hijos, ni necesitaba unción ninguna con óleo sensible; sacerdocio finalmente sumo, porque tenía bajo sí otros muchos sacerdotes (cap. 7).

No hay sacerdocio sin oblación, y por eso aborda Toledo en seguida la cuestión de la oblación de Melquisedec. Oblación de pan y vino (cap. 9), hecha sin duda a Dios, no a Abrahám (cap. 10); oblación cuyo principal mérito está en ser figura de la oblación hecha por Cristo en la última Cena (cap. 11).

Con esto se introduce en el tratado el punto principal que en él se trata, a saber cómo y por qué se llama Cristo sacerdote según el orden de Melquisedec. Los Santos Padres refieren las numerosas semejanzas que existen entre el sacerdocio de Cristo y el de Melquisedec (cap. 12); pero eso no basta para determinar en qué sentido habla la Escritura así del sacerdocio de Cristo. La interpretación de Toledo es la siguiente. Según el orden de Melquisedec significa: no según la institución de la Ley Antigua,

(2) Véase pág. 131.

(3) Véase pág. 126.

no por la sucesión sacerdotal de padres a hijos, tal y como se practicaba en el sacerdocio de Aarón, y por lo mismo sin unción sensible sino con una unción superior. Al mismo tiempo, pero en segundo lugar, el nuevo orden de Melquisedec contiene una alusión a la oblación de pan y vino en el sacrificio (cap. 13).

La solución de dos dificultades o cuestiones incidentales termina el tratado. Primera cuestión: El sacrificio de la Cruz, ¿es también según el orden de Melquisedec? Responde Toledo afirmativamente, porque Cristo no es sacerdote sino según ese sacerdocio, luego no ofreció sacrificio ninguno fuera de él (cap. 14). Segunda cuestión: La eternidad del sacerdocio de Cristo, ¿se entiende estrictamente, o solamente hasta la consumación de los siglos, como pretenden algunos autores? Toledo defiende vigorosamente y con múltiples argumentos la primera opinión, "contra algunos modernos" (cap. 15).

Tal es el tratado sobre Melquisedec, que, como puede apreciarse por el resumen hecho, contiene una corrección y una perfección de líneas completa.

Sobre Melquisedec había tratado ya antes Toledo detenidamente, en sus clases del Colegio Romano, editadas mucho después ⁽⁴⁾. Por eso es de interés comparar el tratado con esas lecciones.

En ellas el orden es diferente, como puede apreciarse en las siguientes proposiciones que las resumen:

- 1.^a proposición: Melchisedech fuit sacerdos.
- 2.^a proposición: Melchisedech fuit summus sacerdos in lege naturae.
- 3.^a proposición: Melchisedech obtulit panem et vinum.
- 4.^a proposición: Christus non tantum est dictus secundum ordinem Melchisedech sacerdos, quia unctioe spirituali unctus est.

5.^a proposición: Melchisedech fuit typus et figura Christi.

Dos cosas aparecen a primera vista en esta comparación: el orden es más perfecto en el tratado, y la materia también es en él más amplia. Así por ejemplo, las lecciones del Colegio Romano

(4) FR. TOLETUS, *In Summam Theologiae S. Thomae Aq. enarratio* (ed. I. Paria, Roma, 1870). Las lecciones a que nos referimos están en el *Tractatus de Sacrificio tremendo Missae*, a continuación de la cuestión 83 de la III parte de la Suma. De Melquisedec trata Toledo en la Controversia 2.^a (en la edición citada, 4, 328-332). Para la fecha de estas lecciones véase en este mismo número el artículo del P. LUIS GÓMEZ HELLÍN, *El profesorado romano del Card. Toledo*, pág. 18.

no dicen nada sobre la persona misma de Melquisedec. Las coincidencias entre ambos se ven principalmente en lo que se refiere a la oblación de Melquisedec (cap. 9 y 10 del tratado y conclusión 3.^a, pruebas 1.^a, 4.^a, 6.^a y 7.^a de las lecciones); y sobre todo en las semejanzas que hay entre el sacerdocio de Melquisedec y el de Cristo (cap. 13 del tratado y conclusión 5.^a de las lecciones). En este último caso, el tratado supone un orden más definido y perfecto en una materia exactamente igual.

Es en el tratado especialmente original la cuestión sobre el sacrificio de la Cruz y su clasificación dentro del sacerdocio "secundum ordinem Melchisedech". Tampoco explican las lecciones en qué consiste el orden de Melquisedec, aunque parecen suponer o iniciar al menos el problema, al decir: "Quarta conclusio: Christus non tantum est dictus secundum ordinem Melchisedech sacerdos, quia unctione spirituali unctus est. Ista est contra illos, qui ita putabant auferre robur argumenti catholici, quo probatur Christum in Coena obtulisse, ut statim dicemus". Esas palabras parecen suponer que el orden de Melquisedec consiste, al menos además de otras cosas, en la oblación de pan y vino, figura de la oblación de Cristo en la Cena. Pero el problema debió preocupar a Toledo más hondamente, y de ahí el estudio que le consagra en el tratado, donde la solución no se encuentra solamente ni principalmente en la oblación, sino en el modo del sacerdocio mismo, siguiendo las indicaciones de San Pablo en la epístola a los Hebreos.

La comparación es de interés también en lo referente a las fuentes patrísticas. Ya dijimos antes que éste es uno de los méritos principales del tratado. Véase en síntesis la comparación de estas fuentes:

TRATADO:	LECCIONES:
S. Epifanio	_____
Filastrio	_____
S. Agustín	S. Agustín
S. Juan Damasceno	S. Juan Damasceno
Teodoreto	Teodoreto
Pseudo-Tertuliano	_____
S. Jerónimo	S. Jerónimo
Procopio	_____
Ambrosiastro	_____
S. Juan Crisóstomo	S. Juan Crisóstomo

S. Ambrosio	S. Ambrosio
Eusebio	Eusebio
Pseudo-Ambrosio (Rabano Mauro)	_____
Sedulio Escoto	_____
Pseudo-Anselmo (Herveo Dolense)	_____
Tertuliano	_____
S. Justino	_____
S. Cipriano	S. Cipriano
Pseudo-Euquerio	_____
Cassiodoro	Cassiodoro
Eutimio	_____
Isidoro Pelusiota	_____
Clemente Alejandrino	_____
S. Gregorio Nazianceno	_____
Pseudo-Agustín	_____
S. Cirilo de Alejandría	_____
	Pseudo-Atanasio
	Arnobio

Una cosa aparece clara en esta comparación de fuentes, y es la documentación mucho más abundante en el tratado que en las lecciones. Pero hay que añadir, que en aquel no hay solamente una mera cita, como en éstas, sino que los textos han sido estudiados, organizados y comparados entre sí, y aun muchas veces citados con bastante exactitud en la referencia. Hay por tanto un positivo progreso, de gran interés en la evolución científica del futuro Cardenal.

Con estas indicaciones creemos haber dicho lo más importante para introducción del tratado, que damos a continuación. Sobre su edición añadiremos todavía una palabra. Hemos querido dar el último pensamiento de Toledo, no las fases sucesivas por que pasó la redacción del tratado; de aquí que omitimos todo lo que está tachado de su propia mano, e incluimos en el texto cuanto él fué añadiendo entre las líneas o en los márgenes.

[F. 9] *Tractatus de Melchisedech.*[F. 10] *Caput 1. De prima haeresi quantum ad personam Melchisedech.*

[1] Epiphanius haeresi 55 ⁽¹⁾ refert tres haereses de persona Melchisedech exortas. Prima fuit quorundam affirmantium illum fuisse virtutem quamdam magnam, et esse superne in locis innominatis, maiorem Christo. Hos appellatos dicit Melchisedecianos; quos hoc nomen sibi forsitan usurpasse refert tamquam a Theodocianis haereticis avulsos et separatos. Huius haeresis meminit Philaster ⁽²⁾, non tamen meminit nominis huius, nec refert eos docuisse Melchisedech esse praestantiorem Christo, sed tantum dicit asseruisse quosdam, Melchisedech fuisse magnam quamdam virtutem Dei. Dicit tamen eos afferre quaedam nomina a fide catholica dissonantia ^a. Eiusdem meminit Augustinus libro *De Haeresibus* cap. 34 sub nomine Melchisedecianorum ⁽³⁾. Similiter Damascenus ⁽⁴⁾ et Theodoretus libro *De Haeresibus* ⁽⁵⁾ sub eodem nomine; nihil tamen aliud de eis narrant, nisi quod dixerint Melchisedech fuisse virtutem quamdam Dei.

[2] Tertullianus libro *De Praescriptione Haereticorum*, in fine ⁽⁶⁾, refert duos Theodotos extitisse: primum quidem docuisse, Christum hominem purum fuisse sicut ceteros homines; huius primi meminit Philaster. Secundum vero non sic, sed dixisse Christum esse quidem purum hominem, sed natum de virgine sine opera viri sed Spiritus Sancti virtute; hunc posteriorem dicit fuisse inventorem haeresis huius, nimirum Melchisedech fuisse virtutem quamdam caelestem, Christo maiorem. Unde mirum est quomodo Epiphanius dicat hos dictos Melchisedecianos quasi avulsos a Theodocianis, cum Tertullianus, tempore prior, affirmet Theodotum inventorem fuisse huius haeresis; nisi dicamus illos non ad-

a *Ms. dissonantes*

(1) S. EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, 55, 1 (MG 41, 971).

(2) S. PHILASTRIUS, *Diversarum haereseon liber*, 52 (ML 12, 1168; CSEL 38, 275).

(3) S. AUGUSTINUS, *De haeresibus*, 34 (ML 42, 31).

(4) S. IOANNES DAMASCENUS, *De haeresibus*, 55 (MG 94, 711).

(5) THEODORETUS, *Haereticarum Fabularum compendium*, 2, 6 (MG 83, 391ss).

(6) Ps. TERTULLIANUS, *Adversus omnes haereses*, 8 (ML 2, 91s; ed. Oehler, 3, 764).

En las ediciones antiguas estaba este tratado unido con el *De praescriptione haereticorum*, como puede verse en Migne, l. c.

mississe nomen a Theodoto, ne aliis eius erroribus consentire viderentur, quos quidam alii, qui Theodociani dicuntur, amplexi sunt, quamvis idem sentirent cum eo de Melchisedech.

[3] Huius Theodoti Tertullianus refert argumenta tria, quibus suam haeresim confirmabat. Primo quidem quia Christus est dictus secundum ordinem Melchisedech, quasi hic sit caput et princeps ordinis, Christus vero de secunda institutione post eum; cuius argumenti etiam meminit Epiphanius nomine Melchisedecianorum. Secundo quia Melchisedech agit et precatur pro caelestibus virtutibus, Christus vero pro hominibus; longe ergo praesantior est illius mediatio. Tertio quia Hebr. 7 [3] dicitur *sine patre et sine matre*, non autem Christus; huius etiam meminit Epiphanius. Haec induxerunt Theodotum ac eius sequaces, ut affirmarent Melchisedech virtutem esse magnam, Cristo superiorem. Appellabant autem virtutem quam nos angelum appellamus et media hierarchia, ut paulo post declarabimus. Unde idem videtur hic error cum eo, quem Hieronymus epistola ad Evagrium, quae est 126 ⁽⁷⁾, tribuit Origeni, dicenti Melchisedech angelum quemdam fuisse, visibili forma apparentem. De quo Augustinus Quaest. in Genesim q. 74 sic inquit: *Melchisedech tanta fuit excellentia, ut a nonnullis dubitetur utrum homo, an angelus fuerit* ⁽⁸⁾.

[4] Haec tamen haeresis facile vincitur. Primo quidem argumento, quo utitur Epiphanius haer. 55 et 67 ⁽⁹⁾ ex verbis Pauli ad Hebr. 7 [3], de Melchisedech loquens; dicit eum *assimilatum Filio Dei*; ergo inferior est Christo; non enim dicitur [F. 10v] similis aut aequalis, sed assimilatus, quasi ipso posterior et prius non similis, sed ad similitudinem postea perductus. Secundo ex verbis ipsius Pauli ibidem; de Melchisedech inquit: *cuius generatio non annumeratur in eis*, nempe in lumbis Abrahae, *decimas sumpsit ab Abraham*; si ergo generatio eius non annumeratur inter Iudaeos, ergo habuit generationem: homo ergo erat et non angelus. Quo argumento utitur Epiphanius haer. 55 ⁽¹⁰⁾ ad probandum non fuisse Spiritum Sanctum sed hominem, ut capite sequenti dicemus. Quo etiam probatur eum angelum non fuisse,

(7) S. HIERONYMUS, *Epist. 73 ad Evangelium*, (ML 22, 677; CSEL 55, 14).

(8) S. AUGUSTINUS, *Quaestiones in Heptateuchum*, l. 1, 72 (ML 34, 567; CSEL 28, 38).

(9) MG 41, 971; 42, 175.

(10) MG 41, 971.

nam nec angelus generationem habet. Tertio quia sacerdos fuit; at ad Hebr. 5 [1]: *omnis pontifex ex hominibus assumitur*.

[5] Argumenta autem in contrarium non habent robur. Ad primum facile respondeo Christum dictum fuisse secundum ordinem Melchisedech non quod hic fuit caput et primus, sed quod fuerit typus et figura; quod potius arguit eum fuisse inferiorem, nam praestantior est veritas typo et figura. Ad secundum respondeo virtutes caelestes non indiguisse mediatione, quia non peccarunt; unde Melchisedech non fuit earum mediator, idque affirmare est errorem errori addere. Ad tertium dico dictum esse sine matre et patre non quidem re ipsa, sed ignoratione, quia Scriptura non meminit matris et patris eius, ut paulo inferius dicemus. Quodnam dicitur non habens initium dierum nec finem, quae angelo non conveniunt, qui initium habuit; quo argumento utitur Procopius ⁽¹¹⁾ Genesis 14 contra hos haereticos. Haec de prima haeresi.

Caput 2. De haeresi secunda.

[6] Altera haeresis relata ab Epiphanio haer. 55 ⁽¹²⁾ fuit quorundam dicentium Melchisedech non hominem sed Spiritum Sanctum fuisse, qui forma visibili apparuit. Hunc non Patrem aut Filium, sed Spiritum Sanctum affirmabant, quia de Spiritu Sancto legebant illud Rom. 8 [26] dictum: *Spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus*; quod Melchisedech convenire putarunt, ut refert Epiphanius. Nec existimes hanc haeresim eandem fuisse cum priori, ut quidam recentiores putarunt, inter quos fuit Castro libro 10 De Haeres., verbo Melchisedech ⁽¹³⁾. Illorum enim haeresim referens, qui virtutem Dei affirmarunt esse Melchisedech, interpretatur virtutem hanc Spiritum Sanctum. Sed quantum a veritate aberret, facile demonstratur. Nam Epiphanius post enarratam illam priorem haeresim et refutatam, secundam hanc describit. Similiter Hieronymus epist. 126 et Procopius Genesis 15 distingunt has haereses. Per virtutem enim caelestem illi angelum magnum intelligebant, ut in capite praecedenti diximus.

[7] Huius secundae haeresis Epiphanius haer. 55 et 67 inventorem fuisse refert quemdam dictum Hieracem aegyptium.

(11) PROCOPIUS, *Commentarii in Genesim*, 14, 18 (MG 87, 334s).

(12) MG 41, 979ss.

(13) ALPHONSUS DE CASTRO, *Adversus haereses*, 10 (Opera [Madrid, 1773], 1, 310).

Huius haeresis inven[F. II]tore tacito meminit Hieronymus epist. 126, quae est ad Evagrium. Haec autem invenitur non solum asserta, sed etiam multis argumentis corroborata in lib. Questionum ex utroque Testamento q. 109 ⁽¹⁴⁾; qui liber Augustino tribuitur. Eaque de causa Erasmus et Castro lib. 10 Haeres. [verbo] Melchisedech existimant eum librum non esse Augustini. Quod argumentum non videtur multum efficax. Nam potuit libro Augustini quispiam haereticus illam quaestionem interserere, ut magis persuaderet legentibus talem errorem. Immo potius id probat librum esse Augustini. Nam facilius erat libro Augustini partem falsam adnectere, quam totum librum falso imputare. Quidquid sit, certissimum est Augustinum non illud de Melchisedech sensisse.

[8] Utebantur autem ii haeretici argumentis quibusdam. Primo quidem, ut refert Epiphanius haer. 55 ex verbis ad Hebr. 7 [3], ubi Melchisedech dicitur *assimilatus Filio Dei*; ergo consubstantialis est Illi et eiusdem cum Ipso naturae; quod Spiritui Sancto convenit. Secundum argumentum referunt Philaster et Hieronymus epist. allegata; quia dicitur *sine patre et matre et sine genealogia*, Hebr. 7 [3], et *non habens principium nec finem*. Tertium argumentum est auctoris illius quaestionis tributae Augustino; quia Abraham fuit sanctissimus et in Scriptura commendatissimus, et tamen Melchisedech illo fuit praestantior; quod non esset nisi Melchisedech fuisset supra hominem et Spiritus ipse Sanctus. Quartum argumentum est eiusdem auctoris; quia Melchisedech dicitur *rex pacis et rex iustitiae*; hoc autem non creaturae, sed Creatori proprium est; ergo Melchisedech Deus fuit, non homo.

Caput 3. De confutatione haeresis praecedentis et argumentorum solutione.

[9] Argumentis ^b, quibus primam haeresim refellimus, hanc etiam secundam refutare possumus. Primo quidem ex Epiphanio haer. 55 et 67, ex illo Hebr. 7 [3], quod non similis aut aequalis, sed assimilatus dicitur; quasi posterius habens et sortitus simili-

b Ms. argumenta

(14) AMBROSIASTER, *Quaestiones Veteris et Novi Testamenti*, q. 109 (ML 35, 2325ss).

tudinem; non ergo Spiritus Sanctus est. Secundo sacerdos est hominis, non Dei; minister enim est. At Melchisedech fuit sacerdos et Deo obtulit; non ergo fuit Spiritus Sanctus. Quo etiam utitur Epiphanius haer. 55. Tertio, ad Hebr. 7 [6]: *cuius generatio non est in eis*; ergo Melchisedech habuit generationem. Quo argumento ibidem utitur Epiphanius: *non enim Spiritus Sanctus carnem sumpsit, in qua sacerdos et generationem habens esset*. Quarto, quia Melchisedech rex fuit cuiusdam particularis regni et civitatis Salem; at Spiritus Sanctus dominus et rex est omnium.

[10] Argumenta autem facile solvuntur. Ad primum, dicimus potius contra eos facere; non enim dicitur similis, sed assimilatus; quod non est Creatoris, sed creaturae. Ad secundum, dicimus iam capite praecedenti dictum sine patre et matre, quia horum non fit mentio; dicitur etiam non habere initium nec finem dierum, quia Scriptura non refert quando natus aut quando mortuus fuerit, sed simpliciter introducitur sacerdos. Sic Epiphanius et Chrysostomus Hom. 35 in Genesim⁽¹⁵⁾ et Hieronymus epist. 126⁽¹⁶⁾ respondent. De hoc tamen dicemus plura in sequentibus. Ad tertium, dicimus eum praeferrī Abrahamo [F. IIIV] in sacerdotii dignitate, non in vitae sanctitate. Quamvis, licet etiam id dicamus, non videtur inconueniens; nam, licet Abraham sanctissimus fuerit, potuit homo esse illo sanctior. Nam et in Novo Testamento quidam illo maiores fuerunt. Ad quartum, facile dicitur argumentum ab etymologia non esse admodum efficax. Nam Absalom dicitur quasi patris pax, cum tamen bellum illi intulerit. Et I Paral. 8 [II] quidam homo dicitur Abitob, id est pater bonitatis; non tamen ob id dicimus eum fuisse Deum, cum meno sit pater bonitatis nisi Deus. Adde Melchisedech dictum sic, non propter se, sed quia typus erat illius qui vere erat rex pacis et rex iustitiae, Christus Deus et homo.

Caput 4. De haeresi tertia et declaratione verborum Ambrosii.

[11] Tertiam haeresim refert ibidem Epiphanius⁽¹⁷⁾, quorundam asserentium Melchisedech fuisse Filium ipsum Dei, qui ante carnem assumptam apparuit Abrahae in humana specie. Quam haeresim Epiphanius unico refellit argumento, nimirum

(15) S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Genesim*, hom. 35 (MG 53, 328).

(16) S. HIERONYMUS, *Epist. 73 ad Evangelium*, 4 (ML 22, 678; CSEL 55, 16).

(17) S. EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, 55, 7 (MG 41, 986).

ex verbis Pauli ad Hebr. 7 [3] citatis. Melchisedech enim dicitur assimilatus Filio Dei; ergo idem cum Eo esse non potest; nemo enim sibi assimilari valet. Procedunt etiam contra hanc haerem quae dicta sunt superius contra haereticos primos.

[12] Hae sunt tres haereses, quarum Epiphanius meminit haer. 55. Nec est quod quispiam haesitet in verbis Ambrosii lib. 1 Exameron cop. 3 ⁽¹⁸⁾, ubi sic inquit: *Deus est Melchisedech, qui est rex iustitiae, nec initium dierum nec finem habens.* Quae verba hunc sensum habent; non quod ille Melchisedech, qui occurrit Abrahae, Deus sit; sed Deum esse verum Melchisedech, cui significatio nominum vere et perfecte competit, et cuius ille figura ac typus erat. Verba antecedentia Ambrosii hunc indicant sensum, et aperte ea quae ipse scribit in epistola 82 ad Ecclesiam Vercellensem ⁽¹⁹⁾, ubi sic inquit: *ad typum illius Melchisedech, quem in Veteri Testamento legimus, verus Melchisedech, verus rex pacis venit, verus rex iustitiae venit.* Haec ibi; ubi Christum ipsum appellat verum Melchisedech, cui nomen perfecte convenit, qui est rex verus pacis et iustitiae.

[F. 12v] ° Caput 5. De haeresi quarta.

[13] Quidam alii in persona Melchisedech etiam errarunt, dicentes fuisse quidem hominem, non tamen secundum naturae leges genitum, sed sine patre ac matre. Cuius haeresis meminit Philaster ⁽²⁰⁾, qui hos errasse dicit legentes illud, quod sine patre et matre ab Apostolo dictus est. His enim verbis omnes tres haereses nitebantur. Isti autem verbis illis ad Hebr. 7 [3] convincuntur, quae precedenti capite ex Epiphanio allegavimus, nempe: *cuius generatio non annumeratur in eis.* Igitur Melchisedech vere generationem habuit. Verba autem Pauli, quibus utuntur haeretici, multipliciter explicantur.

[14] Primo quidem refert Epiphanius haer. 55 ⁽²¹⁾, quosdam iudaeos existimasse, ob id dictum Melchisedech sine patre et matre, quia erat filius scorti; eaque de causa Scripturam non

c El F. 12r está todo tachado

(18) S. AMBROSIIUS, *Exameron*, I, 3, 9 (ML 14, 137; CSEL 32, I, 8).

(19) S. AMBROSIIUS, *Epist.* 63, 49 (ML 16, 1202).

(20) S. PHILASTRIUS, *Diversarum Haeresicon liber*, 148 (ML 12, 1282; CSEL 38, 118).

(21) S. EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, 55, 7 (MG 41, 986).

fecisse mentionem eorum. Vana tamen et impudens est horum responsio et quae facile refutatur. Nam, ut dicit Epiphanius, Raab meretrix fuit; eius tamen Scriptura meminit. Secundo Philaster censet dictum sine patre et matre non quidem absolute, sed sine patre et matre iustis et fidelibus; quia natus erat ex infidelibus gentibus, licet ipse iustus et fidelis esset. Tertio Eusebius lib. 1 Historiae cap. 3⁽²²⁾, dictum censet sine patre et matre quia non secundum successionem carnis habuit sacerdotium, sicut mos et consuetudo fuit apud iudaeos. Quarto Chrysostomus, Epiphanius, Hieronymus, praecedenti capite citati, sine patre et matre censent dictum, quia Scriptura horum non meminit, ut sic assimilaretur et typus quidam esset Christi; sicut etiam dictus est non habuisse dierum initium nec finem, non quod re ipsa non habuerit. Conveniunt omnes hae quatuor responsiones, Melchisedech habuisse patrem et matrem, licet diversimode interpretantur cur sic dictus sit. Ultima vero responsio est communior et verior.

Caput 6. De hebraeorum opinione.

[15] Hieronymus epistola ad Evagrium, quae est 126, et in Tradition. Hebraic. in Genesim ac Is. 41⁽²³⁾ et Ambrosius ad Hebr. 7⁽²⁴⁾ referunt hebraeos existimasse Melchisedech fuisse Sem, filium Noe, annosque vitae eius supputare usque ad Isaac. Nec praedicti doctores eam sententiam hebraeorum impugnant. Placet autem haec opinio nonnullis ex nostris. Epiphanius vero haer. 55⁽²⁵⁾ eam opinionem censet ridiculam; eoque argumento refellit, quia supputatis annis Tharae et Abraham ceterorumque praecedentium, non potuit vita Sem pervenire ad Isaac. At vero Hieronymus sequitur aliam supputationem minorem, quam amplectuntur hebraei, quaeque est secundum vulgatum interpretem. Iuxta quam, vita Sem pervenit ad trigessimum quintum annum post obitum Abrahae. Iuxta hanc ergo supputationem hebraeorum, argumentum Epiphanii non est efficax. Eiusdem opinionis cum Epiphanio est Procopius Gazaetus Genes. 15⁽²⁶⁾, ubi stultam

(22) EUSEBIUS, *Historia Ecclesiastica*, 1, 3 (MG 20, 74).

(23) S. HIERONYMUS, *Epist.* 73 ad *Evangelicum*, 5 (ML 22, 679; CSEL 55, 188); *Liber hebraicarum Quaestionum in Genesim*, 14, 18 (ML 23, 1010); *Commentaria in Isaiam Prophetam*, 12, cap. 41 (ML 24, 429).

(24) Cf. RABANUM MAURUM, *Enarrationum in epistolas Pauli lib. 18, In epist. ad Hebr.*, 7 (ML 112, 755).

(25) S. EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, 55, 6 (MG 41, 982s).

(26) PROCOPIUS, *Commentarii in Genesim*, 14, 18 (MG 87, 334).

illam hebraeorum opinionem existimat eodem argumento supputationis.

[16] Quis autem fuerit Melchisedech, ipse Epiphanius haer. 67⁽²⁷⁾ tradit. Eum enim gentilem existimat, de gente chanaanæa, in qua regnum obtinebat; erat namque rex Salem, ut paulo inferius declarabitur. Consentit Theodoretus Quaest. in Genesim q. 63⁽²⁸⁾ [F. 13], ubi asserit illum esse ex gentibus, quæ Palaestinam incolebant. Et idem videtur sensisse Philaster⁽²⁹⁾, affirmans illum ex parentibus infidelibus traxisse originem. Hieronymus epist. 126 ad Evagrium⁽³⁰⁾ affirmat ex sententia antiquorum patrum Irenæi, Hippolyti, Eusebii Caesariensis et Emisseni, Appollinarij et Eustathij, Melchisedech fuisse chanaanæum et non de gente iudæorum. Sedulius Hebr. 7⁽³¹⁾, recitata opinione quod fuit Sem, dicit Apostolum sentire illum fuisse de semine Cham. Auctor etiam commentariorum antiquorum seu Catenæ graecæ Hebr. 7 tenet et probat fuisse chanaanæum, ex parentibus infidelibus natum, non autem esse Sem, filium Noe.

[17] Horum sententia mihi placet. Non enim video qua ratione Sem sit Melchisedech. Primo quidem Sem genealogia, pater et mater in Scriptura referuntur; non autem Melchisedech. Nec satisfacit responsio quorundam recentiorum, non narrari patrem et matrem Melchisedech sub hoc nomine Melchisedech. Si enim idem erat Melchisedech et Sem, parum refert quod sub nomine Melchisedech aut sub nomine Sem fiat eius mentio. Non enim absolute dici potuit, esse sine genealogia in Scriptura. Secundo, quia Melchisedech erat rex quidam particularis loci, civitatis Salem, sicut erant reges Sodomorum et Gomorrae, ceterique, [qui] ad bellum convenerunt; quod Sem non videtur convenire, maxime quia erat in partibus orientis. Tertio, quia Melchisedech erat gentium sacerdos, non iudæorum seu circumcisorum; Sem autem potius ad Abraham pertinebat, cuius erat proavus decimus. Quarto, quia si Sem esset, visus esset Abraham decimas obtulisse tamquam proavo, non autem tamquam sacerdoti digniori et maiori; at constat dedisse decimas Melchisedech tamquam digniori sacerdoti. Non

(27) S. EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, 67, 7 (MG 42, 182).

(28) THEODORETUS, *Quaestiones in Genesim*, q. 64 (MG 80, 171).

(29) S. PHILASTRIUS, *Diversarum Haeresion liber*, 148 (ML 12, 1284: CSEL 38, 119).

(30) S. HIERONYMUS, *Epist. 73 ad Evangelium*, 2 (ML 22, 677; CSEL 55, 145).

(31) SEDULIUS SCOTUS, *Collectanea in omnes B. Pauli epistolas, In epist. ad Hebr.*, 7 (ML 103, 260s).

ergo Sem, sed quidam alius de chananaeis fuisse videtur Melchisedech.

Caput 7. De regno Melchisedech.

[18] Melchisedech regem extitisse, non est dubium catholicis, cum Scriptura Gen. 14^d [18] et Hebr. 7 [1] id manifeste tradat. Sed difficultas est, cum dictus sit rex Salem, quae fuerit ista civitas Salem. Epiphanius haer. 55⁽³²⁾ duas recitat sententias. Una est Salem eandem esse civitatem cum ea quae dicitur Hierusalem, cuius Melchisedech rex erat. Ista sententia fuit Iosephi lib. 1 Antiquitatum cap. 11⁽³³⁾, ubi affirmat prius dictam Solimam, postea Hierosolimam et Melchisedech regem huius fuisse. Hanc sententiam etiam refert Procopius Genesis 15⁽³⁴⁾, notatque Hierusalem prius dictam Iebus et Salem, et ex utroque confectum nomen Hierusalem, una littera "b" mutata in "r".

[19] Altera sententia relata ab Epiphanio et a Procopio⁽³⁵⁾ est, non Hierusalem, sed aliam urbem Sichimorum, dictam Salem, eam esse cuius Melchisedech rex erat. De qua urbe dictum est Gen. 33 [18]: *transibit per Salem, urbem regionis Sichimorum*; erat enim prope Sichem. Huius sententiae est Ambrosius ad Hebr. 7⁽³⁶⁾, et ibidem Anselmus⁽³⁷⁾, [et] Hieronymus epist. ad Evagrium 126⁽³⁸⁾. Qui tres eisdem utuntur verbis. Et argumentum Hieronymi est multum efficax. Nam Melchisedech occurrit Abrahae, revertenti a bello regum Sodomorum, quos persecutus erat usque ad Dan; constat autem non esse reversum per viam Hierusalem, sed longe ab ea. Addunt Hieronymus et Ambrosius eisdem verbis, hanc dictam esse etiam Salim, de qua dicitur Io. 3 [23]: *erat Ioannes baptizans in Aenon prope Salim*; de qua re ibi diximus⁽³⁹⁾; erat ergo Melchisedech rex Salem, urbis Sichimorum. Et haec opinio est probabilior et communior.

d Ms. 15

(32) S. EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, 55, 2 (MG 41, 974).

(33) FLAVIUS IOSEPHUS, *Antiquitates Iudaicae*, 1, 10, 2.

(34) PROCOPIUS, *Commentarii in Genesis*, 14, 18 (MG 87, 334).

(35) S. EPIPHANIUS et PROCOPIUS nuper citati.

(36) Cf. RABANUM MAURUM, *Enarrationum in epistolas Pauli lib. 18, In epist. ad Hebr.*, 7 (ML 112, 755s).

(37) HERVAEUS DOLENSIS, *Commentaria in epistolas Divi Pauli, In epist. ad Hebr.*, 7 (ML 181, 1579).

(38) S. HIERONYMUS, *Epist. 73 ad Evangelium*, 7 (ML 22, 680; CSEL 55, 20s).

(39) CARD. TOLEDO, *In Sacrosanctum Ioannis Evangelium commentarii*, cap. 3, adn. 33.

[20] Tertiam sententiam recitat Procopius ibidem, quorundam dicentium esse aliam tertiam, quae sita erat in valle Saba, versus campum regis. Huic tamen praeponenda est sententia Hieronymi et Ambrosii, qui etiam affirmant usque ad eius tempora urbem illam ex metropoli Sichem appellatam esse Salem, et ostendi ibi palatium Melchisedech, quod ex [F. 13v] magnitudine ruinarum veteris operis ostendit magnificentiam. Refellit autem Hieronymus in eadem epistola ⁽⁴⁰⁾ eos, qui veritatem historiae tollunt, dicentes non fuisse regem, sed angelum in imagine hominis demonstratum. Ex uno enim errore in alterum lapsi sunt.

Caput 8. De sacerdotio Melchisedech.

[21] Sunt nonnulla notanda. Primum quidem sacerdotem fuisse Melchisedech non quidem idolorum, sed Dei summi et veri, qui fecit caelum et terram. Verba ipsa Scripturae Gen. 14 [18] declarant: *erat, inquit, sacerdos Dei altissimi*, non autem idolorum.

[22] Secundo fuisse sacerdotem gentium, ratio ipsa demonstrat. Tum quia ipse incircumcisis erat, tum quia nondum sacerdotium iudaicum institutum erat, quod incepit in Aaron. Id etiam Paulus Hebr. 7 [5s] docet, ostendens sacerdotium leviticum decimatum fuisse in lumbis Abrahae quando solvit decimas Melchisedech; nondum ergo erat actu. Id etiam sacri doctores docent. Iustinus in Dial. cum Tryphone ⁽⁴¹⁾: *Melchisedech, inquit, eorum, qui in praepotio erant, sacerdos erat atque Abrahamo, qui in circumcissione ipsi decimas obtulit, bene precatus est et benedixit*. Tertullianus etiam libro contra Iudaeos cap. 1 ⁽⁴²⁾: *Melchisedech, inquit, incircumcisis obtulit panem et vinum ipsi Abrahae in circumcissione, revertenti de praelio*. Epiphanius haer. 55 ⁽⁴³⁾, loquens de Abraham et Melchisedech, inquit: *oportebat sacerdotem altissimi a servo Dei honorari, et primum quidem Abraham offerre sacerdoti in praepotio, sacra celebranti, quandoquidem ab ipso futurum erat ex circumcissione sacerdotium*.

[23] Tertio, sacerdotium illius dignius et praestantius fuisse

(40) S. HIERONYMUS, *Epist. 73 ad Evangelium*, 9 (ML 22, 681; CSEL 55, 22).

(41) S. IUSTINUS, *Dialogus cum Tryphone*, 33 (MG 6, 546).

(42) TERTULLIANUS, *Adversus Iudaeos*, 3 (ML 2, 640; ed. Oehler, 2, 705): "ut Melchisedech, qui ipsi Abrahae iam circumciso, revertenti de praelio, panem et vinum obtulit incircumcisis".

(43) S. EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, 55, 2 (MG 41, 974).

Aaronico sacerdotio, docet Paulus Hebr. 7 [4ss], eo argumento comprobans quod Abraham decimas obtulit ipsi Melchisedech; fuit autem Abraham pater Moysis et Aaron, qui fuerunt capita levitici sacerdotii; unde sacerdotium Aaron in Abraham, tamquam praestantiori decimas dedit Melchisedech. Est autem advertendum ex Hieronymo in epist. 126 ad Evagrium ⁽⁴⁴⁾, in hebraeo et apud Septuaginta illud Gen. 14 [20] "*decimas dedit ex omnibus*" ambiguum legi, posseque referri ad utrumque, nimirum quod Abraham dederit Melchisedech ipsi decimas, aut quod Melchisedech dederit ipsi Abrahamo, tamquam pronepoti suo, substantiae suae decimam, avitamque largitatem ostendere in nepotem. Putant enim Melchisedech fuisse Sem. Id ipsum refert Ambrosius Hebr. 7 ⁽⁴⁵⁾. Tamen ab hac ambiguitate lectionisque sensu nos removet Paulus Hebr. 7 [4ss], docens Abraham dedisse spoliiorum et praedae decimas ipsi Melchisedech, tamquam sacerdoti; idque sumit in argumentum praestantioris sacerdotii, cui ab inferiori decimae dantur. Quem sensum Patres secuti sunt: Iustinus in Dialogo cum Tryphone ⁽⁴⁶⁾ et Epiphanius haer. 55 ⁽⁴⁷⁾ et idem Hieronymus ⁽⁴⁸⁾ et Ambrosius ⁽⁴⁹⁾ cum reliquis.

[24] Quarto, sacerdotium Melchisedech fuit non ex successione, nimirum quia nec a parentibus in eum derivatum est, nec ab eo in filios pertransiit, sed ab eo incipiens in eo permansit. Hoc nos Paulus docet Hebr. 7 [3], ac in eo similitudinem quamdam cum Christi sacerdotio constituit, appellans eum *sine patre et matre, nec finem habens dierum nec initium*; ut in hoc sacerdotii illius unitatem indicaret, quod in eo sine successione ante aut post fuit. Id ipsum tradit Eusebius lib. 1 Historiae cap 3 ⁽⁵⁰⁾: *Melchisedech, inquit, non ex successione generis suscepit sacerdotium, sicut apud hebraeos fieri mos erat.* [F. 14] Ambrosius etiam epist. 82 ad populum Vercellensem ⁽⁵¹⁾ docet sacerdotium non ex successione fuisse; ac ob id dictum sine patre et matre

(44) S. HIERONYMUS, *Epist. 73 ad Evangelum*, 6 (ML 22, 680; CSEL 55, 20).

(45) Cf. RABANUM MAURUM, *Enarrationum in epistolas Pauli lib. 18, In epist. ad Hebr. 7* (ML 112, 755).

(46) S. IUSTINUS, *Dialogus cum Tryphone*, 33 (MG 6, 546).

(47) S. EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, 55, 2 (MG 41, 974s).

(48) S. HIERONYMUS, *Epist. 73 ad Evangelum*, 4 (ML 22, 679; CSEL 55, 17).

(49) Cf. RABANUM MAURUM, *Enarrationum in epistolas Pauli lib. 18, In epist. ad Hebr. 7* (ML 112, 758).

(50) EUSEBIUS, *Historia Ecclesiastica*, 1, 3 (MG 20, 74).

(51) S. AMBROSIIUS, *Epist. 63, 49* (ML 16, 1202).

asserit. Epiphanius haer. 55 ⁽⁵²⁾ inquit: *Melchisedech sanctus non amplius post se successionem habuit, sed neque sacerdotii ablationem, mansit enim ipse sacerdos per omne tempus vitae suae et adhuc in Scriptura celebratur sacerdos, ita ut nemo ei successerit aut ministerium sacerdotii in tempore ipsius subverterit.* Haec ille.

[25] Quinto, Melchisedech non fuit unctus oleo sensibili, sicut Aaron, sed invisibili a Deo ipso, a quo accepit sacerdotium. Hoc tradit Eusebius loco paulo ante citato ⁽⁵³⁾ et Hieronymus in epist. ad Evagrium 126 ⁽⁵⁴⁾ ex sententia antiquissimorum patrum Irenaei, Hippolyti, Eusebii tum Caesariensis tum Emisseni, Appollinariii et Eustathii: Melchisedech non oleo sensibili, sed invisibili exultationis, et fidei puritate unctum fuisse; nondum enim sensibilis unctio instituta erat, quae initium habuit in Aaron.

[26] Sexto, Melchisedech fuit summus sacerdos. Ita Ecclesia in Canone Missae eum appellat; quod intellige, non quod fuerit summus pontifex in tota ecclesia, sicut nunc in Ecclesia habemus summum pontificem, sed quod erat summus in regno isto suo, cui multi subdebantur inferiores sacerdotes, ipse autem nemini subiectus erat ⁽⁵⁵⁾.

Caput 9. De oblatione Melchisedech.

[27] Melchisedech panem et vinum obtulisse Deo summo, hancque fuisse oblationem qua ex sacerdotio suo utebatur, certa fide tenendum est. Hoc Ecclesia catholica confitetur et in Canone Missae et in Officio Corporis Christi ⁽⁵⁶⁾. Id ipsum comprobatur Concilium Tridentinum sessione 22 cap. 1 ⁽⁵⁷⁾ eamque veritatem docuere Patres antiqui unanimi consensu: Cyprianus lib. 2 epist. 3 et in novo volumine 63 ⁽⁵⁸⁾ expresse dicit Melchisedech panem et vinum obtulisse. Quod etiam docuit Augustinus lib. 16 Civita-

(52) S. EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, 55, 4 (MG 41,979).

(53) EUSEBIUS, *Historia Ecclesiastica*, 1, 3 (MG 20, 74).

(54) S. HIERONYMUS, *Epist. 73 ad Evangelium*, 2 (ML 22, 677; CSEL 55, 14s).

(55) Cf. FR. TOLETUS, *In Summam Theologiae S. Thomae Aq. enarratio*, De sacrificio Missae contr. 2, concl. 2 (4, 329).

(56) "Sacrificium... quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam" (*Canon Missae*).

"Sacerdos in aeternum Christus Dominus, secundum ordinem Melchisedech, panem et vinum obtulit" (*Officium Sanctissimi Corporis Christi*, ant. 1.^a in I Vesp.)

(57) *Enchiridion Symbolorum*, 938.

(58) S. CYPRIANUS, *Epist. 63, 4* (ML 4, 387; CSEL 3, 703).

tis cap. 22 ⁽⁵⁹⁾ et Eusebius lib. 5 *Demonstrationis Evangelicae* cap. 3 ⁽⁶⁰⁾, Hieronymus epist. ad Marcellam ⁽⁶¹⁾, Eucherius lib. 2 in *Genesim* cap. 8 ⁽⁶²⁾, Cassiodorus ⁽⁶³⁾ et Euthymius in illud *Psalmi* 109 [4] "tu es sacerdos in aeternum ⁽⁶⁴⁾", et Isidorus Pelusiota epist. 431 ⁽⁶⁵⁾. Hieronymus epist. ad Evagrium saepe citata ⁽⁶⁶⁾ refert ex sententia antiquorum Patrum Irenaei, Hippolyti, Eusebii Caesariensis et Emisseni, Appollinarii et Eustathii, Melchisedech panis et vini oblatione, non carnis et sanguinis victimis functus fuisse ⁽⁶⁷⁾.

[28] Secundo, tunc Melchisedech panem et vinum obtulit, quando Abrahae, revertenti a victoria, occurrit. Expressa est sententia Augustini lib. 16 *Civitatis* cap. 22 ⁽⁶⁸⁾; loquens de Melchisedech, qui obviam venit Abrahae cum pane et vino, *ibi*, inquit, *primum apparuit sacrificium, quod nunc a christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud quod longe post hoc factum per prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat venturus in carne: "tu es [F. 14v] sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech"*. Haec Augustinus. Notandum est illud "ibi", quasi diceret: tunc cum obviam venit, obtulit. Eusebius lib. 5 *Demonstrationis Evangelicae* cap. 3 ⁽⁶⁹⁾ *Melchisedech*, inquit, *numquam videtur sacrificiis corporalibus functus, sed vino solo et pane, dum ipsi Abrahae benedicit*. Hieronymus *Math.* 22 in fine ⁽⁷⁰⁾ dicit Melchisedech pro Abraham obtulisse panem et vinum.

Caput 10. De obiectione haereticorum adversus oblationem Melchisedech.

[29] Utuntur catholici ad hoc confirmandum verbis illis *Gen.* 14 [18]: *Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vi-*

(59) S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, 16, 22 (ML 41, 500; CSEL 40, 164).

(60) EUSEBIUS, *Demonstratio Evangelica*, 5, 3 (MG 22, 367).

(61) S. HIERONYMUS, *Epist.* 46 ad Marcellam, 2 (ML 22, 484; CSEL 54, 331). La carta no es de S. Jerónimo, sino de Paula y Eustoquio.

(62) PS. EUCHERIUS, *Commentarii in Genesim*, 2, ad cap. 14, 18 (ML 50, 951).

(63) CASSIODORUS, *Expositio in Psalterium*, ps. 109 (ML 70, 797).

(64) EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Commentarius in Psalterium*, Ps. 109, 4 (MG 128, 1087).

(65) ISIDORUS PELUSIOTA, *Epistolae* 1 epist. 431 (MG 78, 422).

(66) S. HIERONYMUS, *Epist.* 73 ad Evangelum, 2 (ML 22, 677; CSSL 55, 148).

(67) FR. TOLETUS, *In Summam Theologiae S. Thomae Aq., enarratio*. De sacrificio Missae contr. 2, concl. 2, prob. 6 et 7 (4, 331).

(68) S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, 16, 22 (ML 41, 500; CSEL 40, 164).

(69) EUSEBIUS, *Demonstratio Evangelica*, 5, 3 (MG 22, 367).

(70) S. HIERONYMUS, *Commentarium in Matthaeum*, 22, 41ss (ML 26, 173).

num, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei, nimirum Abrahae. Ponderantque causalem illam particulam "erat enim sacerdos"; quasi diceret, quia sacerdos erat, panem et vinum obtulit; igitur de oblatione sermo est; aliter non recte causa connectitur. Hunc locum haeretici Scripturis nostris infirmari contendunt, negantes Melchisedech panem hunc et vinum obtulisse Deo, sed protulisse in cibum et potum Abrahae et militum eius. Idque probant tum quia verbum illud "proferens" idem significat ac "eduxit", tum quia in hebraeo non habetur illa particula causalis "enim", sed copulativa "et". Contendunt ergo haeretici hi Melchisedech non obtulisse Deo panem et vinum. Existimant enim sic evadere posse quominus convincantur erroris sui quo negant Missae sacrificium.

[30] In primis, Melchisedech panem et vinum, quae protulit, dedisse in refectioem Abrahae et iis, qui cum ipso erant, nemo ex catholicis dubitat. Idque Patres tradiderunt, ex quibus aliquot producám. Tertullianus lib. contra Iudaeos cap. I ⁽⁷¹⁾ sic habet: *Melchisedech incircumcisis obtulit panem et vinum ipsi Abrahae circumciso, revertenti de praelio.* Epiphanius haer. 55 ⁽⁷²⁾ *Melchisedech, inquit, obtulit panem et vinum ipsi Abrahae, et erat sacerdos Dei altissimi in illo tempore; qui benedixit Abrahae et deciman ab eo accepit.* Basilius in Ps. 109 ⁽⁷³⁾ in illud "secundum ordinem Melchisedech", *panem, inquit, et vinum Abrahae attulit.* Et ibidem Theodoretus ⁽⁷⁴⁾, Ambrosius Hebr. 7 ⁽⁷⁵⁾ et Hieronymus epist. ad Evagrium, quae est 126 ⁽⁷⁶⁾ ex hebraeorum sententia sic dicunt: non esse mirum, si Melchisedech victori Abrahae obviam venerit et in refectioem tam ipsius, quam pugnantorum eius panem vinumque protulerit. Adverte autem hos doctores secutos esse graeca exemplaria, in quibus legitur: *Melchisedech protulit panem et vinum ipsi.* Sic enim habent complutensia, referturque ad Abraham. At in hebraeo non habetur, nec apud Vulgatam, nec apud Septuaginta latine Romae impressa ⁽⁷⁷⁾, nec apud Hieronymum; sed absolute dictum est panem et vinum protulisse, licet vere ipsi Abrahae dederit.

(71) TERTULLIANUS, *Adversus Iudaeos*, 3 (ML 2, 640; ed. Oehler, 2, 705).

(72) S. EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, 55, 2 (MG 41, 974).

(73) No hemos logrado identificar el pasaje.

(74) THEODORETUS, *Interpretatio in Psalmos*, In Ps. 109, 4 (MG 80, 1771).

(75) Cf. RABANUM MAURUM, *Enarrationum in epistolas Pauli lib. 18, In epist. ad Hebr.*, 7 (ML 112, 755).

(76) S. HIERONYMUS, *Epist. 73 ad Evangelium*, 6 (ML 22, 680; CSEL 55, 19s).

(77) Edición de Sixto V (Roma 1587).

[31] Hoc tamen non obstat quominus panem illum et vinum prius obtulerit Deo, et sanctificatum ac oblatum postea dederit in refectionem. Hoc enim est quod catholici asserunt et praedicti Doctores docuerunt, affirmantes panem et vinum fuisse oblationem, qua usus est Melchisedech iuxta sacerdotium suum, dictinctum ab Aaron. Quorum Doctorum verba paulo ante citavimus. Quam doctrinam Clemens Alexandrinus lib. 4 Stromatum ⁽⁷⁸⁾ dissertis verbis tradidit, dicens: *Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei altissimi, panem sanctificatum dedit nutrimentum, in typum Eucharistiae*. Chrysostomus etiam Hom. 36 in Genesim ⁽⁷⁹⁾, postquam, inquit, *Melchisedech, rex Salem, panem et vinum attulit, erat enim sacerdos Dei altissimi, ab illo Abraham accepit oblata*. Haec ille. Prius ergo obtulit, et postea dedit. Et Cyprianus epist. 63, quae est in veteri volumine lib. 2 epist. 3 ⁽⁸⁰⁾, unum notatu dignum docet, nimirum, ut Melchisedech benediceret Abrahae, prius obtulisse panem et vinum in typum sacrificii Christi, qui sub speciebus panis et vini erat corpus et sanguinem suum oblaturus. Ambrosius etiam lib. de iis qui mysteriis initiantur cap. 8 ⁽⁸¹⁾ sic habet: *Melchisedech protulit ea, quae Abraham veneratus accepit*. Haec ille. Quid est quod Abraham veneratus dicitur ea, quae protulit Melchisedech, nisi quia primum oblata erant Deo et postea in refectionem data? Quod etiam verba Ambrosii sequentia magis explicant. Anselmus etiam Hebr. 7 ⁽⁸²⁾, *Melchisedech, inquit, panem sacratum dedit Abrahae* °.

[32] Hanc autem veritatem verba ex Genesi allegata significant. Illa enim verba “erat sacerdos altissimi” idcirco conecuntur cum verbis illis “protulit panem et vinum”, ut indicaretur illa protulisse tamquam sacerdotem, nimirum ad offerendum Deo et sanctificandum. Nec est alicuius momenti quod haeretici fingunt. Connectunt enim verbum hoc sequentibus, sic: “et erat sacerdos Dei altissimi ac benedixit ei”; nimirum, quia sacerdos erat. Haec tamen verborum divisio callenti sermonem hebraeum

e Las palabras “Melchisedech protulit quae Abraham... panem sacratum dedit Abrahae” están en el margen superior del F. 15r

(78) CLEMENS ALEXANDRINUS, *Stromata*, 4, 25 (MG 8, 1371).

(79) S. IOANNES CHYSOSTOMUS, *Hom. 36 in Genesim* (MG 53, 336).

(80) S. CYPRIANUS, *Epist.* 63, 4 (ML 4, 387; CSEL 3, 703).

(81) S. AMBROSIIUS, *De Mysteriis*, 8, 45 (ML 16, 404).

(82) HERVAEUS DOLENSIS, *Commentaria in epistolas Divi Pauli, In epist. ad Hebr.*, 7 (ML 181, 1580).

inepta et falsa constabit. Nam post verbum "erat sacerdos" est accentus, quem hebraei [F. 15] vocant *soph pasuch*; qui indicat ibi terminari periodum. Ex quo constat, deberi ad antecedentem referri: "protulit panem et vinum, erat enim sacerdos". Adde, si coniungantur sequentibus, non esse accommodata causa; nempe quia Melchisedech erat sacerdos, benedixit Abrahae. Nam et Abraham sacerdos erat, et saepe obtulerat Deo. Nec Paulus Hebr. 7 colligit sacerdotem fuisse quia benedixit Abrahae, sed maiorem sacerdotem fuisse. Necessse est ergo connecti antecedentibus.

[33] Nec obiectiones eorum robur habent. Illud enim verbum "protulit", quod in hebraeo est *hōsi'*, quamvis secundum se significat absolute adducere sive proferre, tamen pro loci exigentia aliquando usurpatur pro adductione hostiae ad sacrificium, seu immolatione. Nam Iudic. 6 [18s] bis hoc verbum habetur; et sine ulla controversia accipitur pro adductione hostiae. Illud autem de particula "et", quae est in hebraeo littera *vau*, fateor habere etiam sensum copulantem; et Cyprianus epist. 63, seu lib. 2 epist 3⁽⁸³⁾, legit "erat autem sacerdos"; et Septuaginta legunt particulam "de"; et versio latina romana habet "erat autem". Nec haec lectio obstat veritati nostrae. Ut enim diximus, conecitur antecedenti et vim habet causae; quamvis particula "et" apud hebraeos causalem sensum saepe facere, vel qui primordia linguae degustaverunt, non ignorant; frequensque est usus in Scriptura. Quod in Commentariis in Ioannem saepe notavimus. Unde vulgatus interpres recte et vere vertit per causalem particulam⁽⁸⁴⁾.

Caput 11. Quod oblatio Melchisedech typus fuerit sacrificii et oblationis, quam obtulit Christus in Coena et quod hodie Ecclesia celebrat in Missa.

[34] Oblationem Melchisedech in pane et vino typum fuisse oblationis, qua Christus in Coena corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini obtulit et Ecclesiae suae offerenda praecepit, catholici omnes confitemur. Idque Concilium Tridentinum sess. 22 cap. 1 confirmat. Sacri Doctores tradiderunt: Epiphanius

(83) S. CYPRIANUS, *Epist.* 63, 4 (ML 4, 387; CSEL 3, 703).

(84) Cf. FR. TOLETUS, *In Summan Theologiae S. Thomae Aq. enarratio*, De sacrificio Missae, contr. 2, concl. 3, prob. 1 et 4 (4, 330s).

haer. 55⁽⁸⁵⁾: *nunc, inquit, viget in Ecclesia sacerdotium a Christo secundum ordinem Melchisedech*. Eusebius lib. 5 *Demonstrationis Evangelicae* cap. 3⁽⁸⁶⁾: *quemadmodum, inquit, Melchisedech, qui gentium sacerdos erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus, sed vino solo et pane, cum ipsi Abraham benedicit, ita sane primus ipse Salvator ac Dominus noster, deinde qui ab eo profecti sunt sacerdotes in omnibus gentibus, spirituale secundum ecclesiasticas sanctiones sacerdotii munus obeuntes, vino ac pane corporis illius et salutaris sanguinis mysteria repraesentant; quae sane mysteria Melchisedech tantum in spiritu divino cognoverat et rerum futurarum imaginibus usus fuerat*. Haec ille. Theodoretus etiam Ps. 109⁽⁸⁷⁾: *Melchisedech, inquit, non iudaeorum, sed gentium est sacerdos; sic et Dominus Christus non pro iudaeis tantum, sed pro omnibus hominibus semetipsum obtulit Deo. Exorditur autem sacerdotium in nocte, qua crucem subivit, cum accepit panem et gratias egit ac fregit, et dixit: accipite et comedite ex ipso; hoc est corpus meum. Similiter et calicem cum temperasset, dedit discipulis suis, dicens: bibite ex eo omnes; hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Invenimus autem Melchisedech sacerdotem et regem esse (figura igitur erat et veri sacerdotis et regis) et afferentem non sacrificia ratione carentia, sed panem et vinum; haec enim Abrahae obtulit quando proprii sacerdotii exemplar in lumbis Abrahae secundum spiritum praevidisset*. Haec ille.

[35] Clemens Alexandrinus lib. 4 *Stromatum*⁽⁸⁸⁾: *Melchisedech, inquit, sacerdos erat Dei altissimi, qui panem sanctificatum dedit nutrimentum, in typum Eucharistiae*. Isidorus [F. 15v] etiam Pelusiota epist. 431⁽⁸⁹⁾: *Melchisedech, inquit, panibus et vino sacerdotis munus obiit, per quae divinorum mysteriorum typum adumbravit*. Damascenus etiam lib. 4 *De fide* cap. 14.⁽⁹⁰⁾ sic habet: *Abrahamum ex alienigenarum strage redeuntem, ille summi Dei sacerdos Melchisedech pane et vino excepit. Mensa illa mysticam hanc adumbrabat, quemadmodum et sacerdos ille veri Pontificis Christi figuram et imaginem prae se ferebat; tu enim, inquit, es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*.

(85) S. EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, 55, 2 (MG 41, 975).

(86) EUSEBIUS, *Demonstratio Evangelica*, 5, 3 (MG 22, 367).

(87) THEODORETUS, *Interpretatio in Psalmos*, In Ps. 109, 4 (MG 80, 1771).

(88) CLEMENS ALEXANDRINUS, *Stromata*, 4, 25 (MG 8, 1371).

(89) ISIDORUS PELUSIOTA, *Epistolae* I, epist. 431 (MG 78, 422).

(90) S. IOANNES DAMASCENUS, *De fide orthodoxa*, 4, 13 (MG 94, 1150).

Panem hunc panes propositionis adumbrabant. Hoc videlicet est illud purum et incruentum sacrificium, quod Dominus a solis ortu ad occasum oblatum iri per prophetam praedixit. Corpus ac sanguis Christi est ad animae et corporis nostri incolumitatem tendens, quod nec consumitur, nec corrumpitur, nec in secessum abit; verum ad nostram substantiam et conservationem tendit, atque omne incommodum propulsat eamque vim habet, ut spurcitiam omnem abstergat. Haec ille.

[36] Inter latinos Cyprianus lib. 2 epist. 3 et in novo volumine epist. 63 ⁽⁹¹⁾ sic habet: *Ut ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, praecedit antea imago sacrificii Christi, in pane et vino scilicet constituta, quam rem perficiens et adimplens Dominus, panem et calicem mixtum vino obtulit; et qui est plenitudo veritatem praefiguratae imaginis adimplevit.* Haec Cyprianus. Ambrosius lib. 5 De Sacramentis cap. 1 ⁽⁹²⁾: *Cognovimus, inquit, sacramentorum istorum figuram Abrahae temporibus praecessisse, quando obtulit sacrificium sanctus Melchisedech.* Et paulo infra: *diximus quod in altari constituatur calix et panis; in calice mittitur vinum, et quid aliud? Aqua. Sed tu mihi dices: quomodo ergo Melchisedech panem et vinum obtulit? Quid sibi vult admixtio aquae?* Haec Ambrosius. Eadem verba habet lib. 4 De Sacramentis cap. 3 et 6, et De initiandis mysteriis cap. 8.

[37] Hieronymus epist. ad Marcellam ⁽⁹³⁾ ut migret Bethlehem, inquit: *Recurrere ad Genesim, et Melchisedech, regem Salem, huius principem invenies civitatis, qui iam tunc in typo Christi panem ac vinum obtulit ac mysterium christianorum in Salvatoris sanguine et corpore dedicavit.* Et in Quaest. in Genesim: *Mysterium, inquit, nostrum in verbo ordinis significatur, nequaquam per Aaron irrationalibus victimis immolandis, sed oblato pane et vino, id est corpore et sanguine Domini Iesu.* Augustinus lib. 16 Civitatis cap. 22 ⁽⁹⁴⁾, de oblatione Melchisedech loquens, inquit: *Ibi primum apparuit sacrificium, quod nunc a christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud quod longe post hoc factum per prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat*

(91) S. CYPRIANUS, *Epist.* 63, 4 (ML 4, 388; CSEL 3, 704).

(92) S. AMBROSIIUS, *De Sacramentis*, 5, 1, 18 (ML 16, 445s); 4, 3 (ML 16, 438); 4, 6 (ML 16, 446); *De Mysteriis*, 8 (ML 16, 404).

(93) S. HIERONYMUS, *Epist. ad Marcellam*, 2 (ML 22, 484; CSEL 54, 331): cf. nt. 60. *Liber hebraicarum Quaestionum in Genesim*, 14, 18 (ML 23, 1011).

(94) S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, 16, 22 (ML 41, 500; CSEL 40, 164).

venturus in carne: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Haec ille. Sunt huiusmodi multa alia Patrum testimonia.

Caput 12. Quomodo Christus sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

[38] Christum sacerdotem esse secundum ordinem Melchisedech, non solum Scriptura, post eius adventum revelata, testatur, sed etiam multo ante epistola ad Hebraeos cap. 6 [I.10.20] et 7 [I.11.17] multoties id repetitum; et Ps. 109 [4] a David praenuntiatum. Nec christianis ulla de hoc dubitatio est. In quo vero is ordo consistat, a sacris Doctoribus non uno modo, sed multipliciter explicatur. Conveniunt quidem omnes, dictum esse Christum secundum ordinem Melchisedech, id est secundum similitudinem illius, quasi Melchisedech figura et typus, Christus vero veritas ipsa fuerit. In quo autem similitudo et ordo posita sint, varia est explicatio.

[39] Primo igitur Iustinus in Dialogo cum Tryphone ⁽⁹⁵⁾, explicans illud "tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech", sic inquit: *quemadmodum Melchisedechus altissimi Dei sacerdos a Moyse fuisse com[F. 16]memoratus est, et hic eorum, qui in praeputio erant, sacerdos erat, atque Abrahamo, qui in circumcissione ei decimas obtulerat, bene precatus est et benedixit. Sic perpetuum sacerdotem suum et Domini a Sancto Spiritu vocatum Deus eorum, qui praeputium haberent, futurum declarabat, recepturumque et benedicturum eis, qui in circumcissione ad se accederent, id est qui sibi crederent benedictionesque a se peterent.* Haec ille. Ex quibus verbis facile intelliges in tribus positam esse similitudinem et ordinem. Primo quidem Melchisedech fuit sacerdos Dei summi; sic Christus fuit sacerdos ipsius Dei, et Deus ipse a Spiritu Sancto Dominus idcirco appellatus. Secundo, sicut Melchisedech fuit sacerdos gentium, sic et Christus sacerdos gentium fuit, quippe qui eas ad se vocavit et in viam salutis reduxit. Tertio, sicut Melchisedech Abrahamo circumciso, decimas sibi offerenti, benedixit, sic etiam Christus iudaeos ad se conversos eique credentes recepit, eisque benedictionem impartitus est. Haec sunt quae Iustinus docet.

(95) S. IUSTINUS, *Dialogus cum Tryphone*, 33 (MG 6, 546).

[40] Secundo loco Eusebius lib. 1 *Historiae* cap. 3 ⁽⁹⁶⁾ sic habet: *Melchisedech in divinis voluminibus sacerdos Dei summi fuisse refertur. Sed qui non oleo communi perunctus sit, neque qui successione generis suscepit sacerdotium, sicut apud hebraeos fieri mos erat. Et ideo secundum ordinem ipsius sacerdos futurus dicitur Christus, qui non olei liquore, sed virtute caelestis spiritus consecratur.* Haec ille. Ordinem igitur in duobus aliis constituit, nempe quod non ex successione generis acceperit sacerdotium, nec unctus fuerit oleo sensibili. Consentit Ambrosius priori rationi, epist. 82 ad Vercellensem ecclesiam ⁽⁹⁷⁾, ubi sic inquit: *Cum ab Aaron per genus ducta successio generis magis teneret haeredes, quam iustitiae consortes, propterea ad typum illius Melchisedech, quem in Veteri Testamento legimus, verus Melchisedech, verus rex pacis venit, verus rex iustitiae venit.* Haec ille.

[41] Tertio loco Cyprianus lib. 2 epist. et in novo volumine 63 ⁽⁹⁸⁾ sic inquit: *Quod Melchisedech typum Christi portaret, declarat Spiritus Sanctus in Psalmis, dicens: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abrahae benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo obtulit? Et obtulit ^f hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, panem et vinum; suum scilicet corpus et sanguinem. Et circa Abraham benedictio illa praecedens, ad nostrum populum pertinebat. Nam si Abraham creditum et deputatum est illi ad iustitiam, utique quisquis Deo credit et fide vivit, iustus invenitur et iam pridem in Abraham fidei benedictus et iustificatus ostenditur.* Haec ille. Qui in tribus hunc ordinem explicat. Primo quidem in eo quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, et in hoc convenit cum Iustino citato. Secundo, in sacrificio: sicut enim Melchisedech obtulit panem et vinum, sic Christus sub speciebus panis et vini suum corpus et sanguinem obtulit. Tertio, in benedictione Abrahae; in quo convenit etiam cum Iustino in verbis, non autem

f El manuscrito repite "et obtulit"

(96) EUSEBIUS, *Historia Ecclesiastica*, 1, 3 (MG 20, 74).

(97) S. AMBROSIIUS, *Epist.* 63, 49 (ML 16, 1202).

(98) S. CYPRIANUS, *Epist.* 63, 4 (ML 4, 387; CSEL 3, 703).

in sensu. Nam Iustinus hanc benedictionem interpretatur de iudaeis credentibus; at Ambrosius de omnibus fidelibus, tam ex gentibus, quam ex iudaeis, qui per Abraham fidelem significantur. Consentiant multi Doctores in secundo, nimirum in sacrificio: Hiero[F. 16v]nymus enim, sive auctor illorum Commentariorum in Ps. 109⁽⁹⁹⁾, sic habet: *tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Hoc solum dicamus, quare dixerit "secundum ordinem". Secundum ordinem, nequaquam sacerdos eris secundum victimas iudaicas; ser eris sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Quomodo enim Melchisedech, rex Salem, obtulit panem et vinum, sic et tu offeres corpus tuum et sanguinem, verum panem et vinum verum. Iste Melchisedech ista mysteria, quae habemus, dedit nobis. Ipse est qui dixit: qui manducaverit meam carnem et biberit meum sanguinem. Secundum ordinem Melchisedech tradidit nobis sacramentum suum.* Haec ille. Augustinus lib. 16 Civitatis cap. 22⁽¹⁰⁰⁾ eodem modo hunc ordinem interpretatur: *ibi, inquit, primum apparuit sacrificium, quod nunc a christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud, quod longe post factum hoc per prophetam dicitur ad Christum, qui erat venturus in carnem: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Haec ille. Idem Theodoretus in Ps. 109⁽¹⁰¹⁾ et Ambrosius, quorum verba capite praecedenti retulimus. Qui omnes hunc ordinem in sacrificio interpretantur.

[42] Quarto loco Basilius in Ps. 109⁽¹⁰²⁾ sic inquit: *Quid est illud "secundum ordinem" Melchisedech? Nisi propter mysteria. Quia et ille panem et vinum Abrahae obtulit. Et quod sacerdotium illius fuerit a lege liberum. Et praeterea quod nec finem, ut Paulus dicit, nec principium habuit.* Haec Basilius. Qui in tribus hunc ordinem explicat: nimirum, in sacrificio, in quo convenit cum Cypriano et Doctoribus citatis paulo ante; secundo, in eo quod non erat secundum legem, in quo convenit etiam cum Eusebio, secundo loco citato; tertio, addit unam aliam rationem novam, nempe quod, sicut Melchisedech principium et finem non habuit, sic et Christus, ut habetur Hebr. 7 [3], cum discrimine tamen: Melchisedech enim vere habuit principium et finem, sed

(99) S. HIERONYMUS, *Breviarium in Psalmos*, In Ps. 109 (ML 26, 1235).

(100) S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, 16, 22 (ML 41, 500; CSEL 40, 164).

(101) THEODORETUS, *Interpretatio in Psalmos*, In Ps. 109, 4 (MG 80, 177).

(102) No nos ha sido posible encontrar este pasaje.

dicitur non habuisse ignoratione, quia nescimus quando incepit et quando mortuus est; at Christus vere nec initium habuit nec finem, utpote verus Deus.

[43] Quinto loco Hieronymus epist. 126, quae est ad Evagrium ⁽¹⁰³⁾, ex sententia antiquissimorum Patrum Hippolyti, Iranaei, Eusebii Caesariensis et Emisseni, Appollinarii et Eustathii, hunc ordinem explicat, dicens: *ordinem autem multis modis interpretantur: quod solus rex fuerit et sacerdos et ante circumcisionem functus fuerit sacerdotio, ut non gentes ex iudaeis sed iudaei a gentibus sacerdotium acceperint, neque unctus oleo sacerdotali, ut Moysi praecepta constituunt, sed oleo exsultationis et fidei puritate, neque carnis et sanguinis victimas immolaverit et brutorum animalium sanguinem dextera suscepit, sed pane et vino simplici puroque sacrificio Christi dedicaverit sacramentum, et multa alia quae epistolae brevitatis non recipit.* Haec ille. Ubi vides quatuor similitudines; quarum tres communes sunt cum aliis, una vero distincta est, nempe sicut Melchisedech sacerdotium habuit cum regno coniunctum, ita et Christus.

[44] Sexto loco Epiphanius haer. 55 ⁽¹⁰⁴⁾ sic scribit: *Ordinem Melchisedech corroborans Scriptura, et Spiritus Sanctus expresse docent translationem sacerdotii, ostendit a veteri synagoga et consuetudine ad consuetudinem optimam et summam et carnalem successionem non habentem atque unitam. Melchisedech enim sanctus hic non amplius post se successionem habuit, sed neque sacerdotii ablationem; mansit enim [F. 17] ipse sacerdos per omne tempus vitae suae et adhuc in Scriptura celebratur sacerdos, ita ut nemo ipsi successerit aut ministerium sacerdotii in tempore ipsius subverterit; sic et Dominus noster non homo existens, sed ex Deo sanctus, Deus Verbum, Filius Dei, genitus sine principio et sine tempore, semper cum Patre existens, natus propter nos ex Maria homo et non ex semine viri; sacerdotium autem Patri offert ex humana nostra massa accepta, ut quod nobis sacerdos constitueretur secundum ordinem Melchisedech, qui non habet successionem, manet enim pro nobis in perpetuum dona offerens.* Haec ille. Ex quibus habes Epiphanium ordinem hunc interpretari in eo quod sacerdotium Christi non habet successionem, sicut habuit Aaronicum, sed in perpetuum permanere,

(103) S. HIERONYMUS, *Epist. 73 ad Evangelum*, 2 (ML 22, 677; CSEL 55, 148).

(104) S. EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, 55 (MG 41, 979).

sicut per typum Melchisedech significabat; de quo nec finis nec successio narratur. Hoc etiam dicit Hieronymus de mente propria epist. ad Evagrium 126 ⁽¹⁰⁵⁾, adiungens etiam in eo quod fuerit rex et sacerdos.

[45] Septimo loco Gregorius Naziancenus Oratione quinta in nativitatem ^g ⁽¹⁰⁶⁾ insinuat quamdam aliam rationem similitudinis. Verba ipsius sunt haec: *Melchisedech colligitur, qui sine matre erat, sine patre efficitur; prius quidem sine matre, post autem sine patre.* Haec ille. Ubi vides similitudinem in eo esse quod sicut Melchisedech dicitur sine matre et patre, quia non narrat Scriptura, ita vere Christus sine matre ut Deus, sine patre ut homo; et uti ille prius dicitur sine matre in Scriptura, ita Christus prius sine matre quia prius erat Deus sine matre, postea homo sine patre. Idem dicit Ambrosius epist. 82 ⁽¹⁰⁷⁾, quamvis non adnotet hoc secundum, quod prius dictus sit sine matre. In oratione autem quarta theologica idem Gregorius Naziancenus ⁽¹⁰⁸⁾ in pluribus ponit hanc similitudinem. Loquens enim de Filio Dei sic scribit in fine orationis: *Melchisedech, ut expers matris quod ad naturam illam nostra excelsiorem attinet, patre autem carens quantum ad nostram, tum etiam quia sublimatus absque genealogia est (generationem enim illius quis enarrabit?). Ac praeterea ut rex Salem, hoc est pacis, et rex iustitiae, ac denique ut a patriarchis adversus pestiferas potestates strenue rem gerentibus, decimas accipiens.* Haec ille. Haec sunt quae Patres tradiderunt de hoc ordine.

Caput 13. De vera interpretatione ordinis Melchisedech.

[46] [F. 17v] Pro vera et legitima intelligentia huius difficultatis, advertendum est: primo, Melchisedech fuisse typum et figuram Christi in multis. Primo quidem in persona: dicitur enim sine matre et sine patre et sine genealogia esse, non quidem re ipsa, sed ignoratione; quia ignoratur et a Scriptura ista tacentur,

g Ms. in quintam nativitatem

(105) S. HIERONYMUS, *Epist. 73 ad Evangelium*, 2 (ML 22, 677; CSEL 55, 145).

(106) S. GREGORIUS NAZIANCENUS, *Orat. 38 in Theophania sive Natalitia Salvatoris*, 2 (MG 36, 314).

(107) No hemos encontrado el pasaje aludido; el pensamiento es ciertamente de S. Ambrosio en *De Sacramentis*, 4, 3, 12 (ML 16, 438); *De Fide*, 3, 11, 88 (ML 16, 607).

(108) S. GREGORIUS NAZIANCENUS, *Orat. 30, 4.^a Theologica*, 21 (MG 36, 134).

ut figura esset illius, qui vere sine matre secundum divinam naturam, sine patre ^h secundum humanam est; ac sine genealogia, id est sine generatione filiorum, ut explicat Anselmus ⁽¹⁰⁹⁾, quia carnalem successionem post se non habuit. Secundo fuit typus in nomine. Ille enim Melchisedech, id est rex iustitiae dictus est; Christus vero est qui iustitiam, per quam iusti sumus coram Deo et ex impiis pii et grati efficimur, operatus est: Rom. 10 [4] *finis legis Christus* ⁱ, *ad iustitiam omni credenti*. Tertio, in regia dignitate. Ille enim rex erat; Christus autem vere rex regum et dominus dominantium; et quidem ille rex Salem, id est pacis, adumbrans pacem quam futurus erat Christus. Pacem enim inter Deum et homines effecit, et quae in caelis et quae in terris sunt pacificavit, dictus ab Isaia princeps pacis. Quarto, in sacerdotio. Melchisedech enim sacerdos altissimi Dei, Christus etiam sacerdos est sacerdotiumque cum regno coniunctum habet, sicut et ille. Quinto, in sacerdotii qualitate. Melchisedech enim non fuit unctus oleo sensibili, sed invisibili et spirituali; sic et Christus. Rursus Melchisedech non habuit sacerdotium secundum carnalem generationem, sed a Deo ipso; sic etiam Christus. Rursus Melchisedech non habuit sacerdotium temporale, nempe [F. 18] [quod] ab ipso transiret in filios, sed perpetuum; non quidem re ipsa, sed ex Scripturae narratione, quia finis illius non meminit; sic et Christi sacerdotium perpetuum et aeternum, vere tamen, non enim figura aequalis esse debet figuratae veritati. Rursus Melchisedech sacerdos gentium erat, qui etiam circumcisum Abraham recepit et pro ipso obtulit oblationem Deo; sic etiam Christus gentium et iudaeorum sacerdos est, et pro omnium salute se obtulit Patri. Sexto, in oblatione. Nam Melchisedech obtulit panem et vinum; sic et Christus sub speciebus panis et vini obtulit carnem suam et sanguinem. Propter haec rex Melchisedech typus fuit et figura Christi, et hoc est quod primo loco adnotandum est ⁽¹¹⁰⁾.

[47] Adnotandum secundo, non esse idem Melchisedech esse typum seu figuram Christi, et Christum esse sacerdotem secun-

h Ms. matre

i Ms. Christum

(109) HERVAEUS DOLENSIS, *Commentaria in epistolas Divi Pauli. In epist. ad Hebr.*, 7 (ML 181, 1581).

(110) CI. FR. TOLETUS, *In Summam Theologiae S. Thomae Aq. enarratio*, De sacrificio Missae, contr. 2, concl. 5 (4, 331s).

dum ordinem Melchisedech. Hoc evidenti argumento demonstratur. Nam multi fuerunt typus Christi, non tamen Christus dictus est secundum ordinem eorum. Fuit figura Christi David, Salomon, Iosue et alii, qui nec sacerdotes fuerunt. Sed similitudo debet esse in sacerdotio. Non enim absolute Christus dicitur secundum ordinem Melchisedech, sed sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Hinc intelliges sacros Doctores capite praecedenti allegatos, qui multas similitudines inter Christum et Melchisedech tradiderunt, non tamen sic eos intelligere debemus, quasi voluerint affirmare propter illas Christum dictum esse secundum ordinem Melchisedech.

[48] Adnotandum est tertio, adhuc Christum non dici sacerdotem secundum ordinem Melchisedech absolute propter similitudinem in sacerdotio. Quod eo argumento constat: nam Aaron, summus pontifex, figuram pontificis Christi gerebat, un afferunt Augustinus sermone 99 de Tempore ⁽¹¹¹⁾ et Cyrillus lib. 13 De adoratione in spiritu ⁽¹¹²⁾; et tamen non dicimus Christum sacerdotem secundum ordinem Aaron.

[49] Adnotandum est quarto, non esse idem sacerdotium Christi esse perpetuum et aeternum, et esse secundum ordinem Melchisedech; quamvis in sacerdotio Melchisedech figurata sit aeternitas sacerdotii Christi. Hoc nobis indicant verba Psalmi [109, 4]: *tu, inquit, es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*. Ubi duo vides: Christum nempe sacerdotem in aeternum, et secundum ordinem Melchisedech; aliud ergo indicat verbum hoc secundum ordinem Melchisedech; utrumque autem Christus habuit.

[50] Notandum est quinto, Christum dictum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, quia non fuit eius sacerdotium secundum legis veteris institutionem et mandatum, sed secundum Dei virtutem, seu ^j ex divinitate ipsa carni unita; per quam sacerdotium obtinuit aeternitatem et perpetuitatem. Qui enim erant ex Aaron sacerdotes summi, ex Levi tribu et secundum carnalem successionem parentum in filios assumebantur, multisque ritibus et caeromoniis exterioribus inaugurabantur, et

j Ms. et seu

(111) Ps. AUGUSTINUS, *Serm.* 31 (ML 39, 1805).

(112) S. CYRILLUS ALEXANDRINUS, *De Adoratione in Spiritu et veritate*, 13 (MG 68, 846).

sic ad sacerdotalem illam dignitatem promo[F. 18v]vebantur; Christus autem non sic factus est sacerdos, sed ab ipsa virtute divinitatis, quae in eo erat; non carnali successione potestas eius sacerdotii procedebat, nec aliis ritibus, caeremoniis, unctionibus indiguit. Unde sacerdotium eius non fuit secundum legis veteris institutum et mandatum. In quo Melchisedech quamdam figuram et similitudinem eius habuit, qui sacerdos fuit ante legem, nec legis ritibus institutus, nec carnali successione, sed Dei institutione factus. Hanc doctrinam nos docuit Paulus Hebr. 7 [15], ubi sic inquit: *et amplius manifestum est, si secundum similitudinem Melchisedech exurgat alius sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitae insolubilis. Contestatur enim: quia tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Haec ille. Ponderanda verba “secundum similitudinem Melchisedech, inquit, exurgat alius sacerdos”. Explicans autem quae sit ista similitudo, addit: “qui non secundum legem mandati carnalis factus sit”; quasi diceret: si esset secundum legem mandati carnalis, quae carnalem successione in pontificibus faciendis sequebatur, ac ritus illos et caeremonias et unctiones corporales praecipiebat, esset sacerdos Aaronicus; at cum non sit factus secundum legem illam mandatumque carnale, non Aaronicus, sed secundum Melchisedech similitudinem et ordinem est. Statim per antithesim explicat quomodo factus sit sacerdos Christus: secundum virtutem, inquit, qua potuit vitam insolubilem ^k et invisibilem habere, nempe per divinitatem, quae Christo vitam dedit interminabilem. Nam licet mortuus est, non ad modum ceterorum hominum; nam mansit divinitas et persona eadem unita animae et corpori. Unde morte illa non est solutum sacerdotium eius. Qui autem secundum mandati carnalis legem facti erant sacerdotes, non poterant vitam indissolubilem habere: ideo nec perpetuum sacerdotium. Post haec allegat Psalmum, quo probat utrumque: scilicet Christum non secundum legem mandati carnalis factum sacerdotem, sed secundum virtutem, qua eius sacerdotium aeternum est: *tu, inquit, es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Secundum ordinem quidem Melchisedech, quia non secundum mandatum legis, sed secundum virtutem. In aeternum autem, quia vitam

k Ms. indissolubilem

indissolubilem habuit; quod etiam repraesentatum est in Melchisedech.

[51] Adverte autem Paulum in eodem capite 7, praeter id, ratione cuius dicitur Christus secundum ordinem Melchisedech esse, multas alias similitudines enarrare. Inquit enim [Hebr. 7, 1ss]: *Hic Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahae regresso a caede regum, et benedixit ei; cui et decimas omnium divisit Abraham: primum quidem qui interpretatur rex iustitiae: deinde autem et rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitae habens, assimilatus autem Filio Dei manet sacerdos in perpetuum.* Haec ille. Illo autem verbo "sine patre, matre, genealogia" indicat ordinem sacerdotii, quod non fuit secundum legem mandati carnalis; non enim erat ex successio[ne] [F. 19] carnis parentum in filios, quae fuit sacerdotium Aaronicum. Cetera ad similitudinem et typum Melchisedech pertinent.

[52] Postremo adnotandum est, Christi sacerdotium fuisse etiam secundum ordinem Melchisedech quantum ad ipsam oblationem. Nimirum quia in panis et vini speciebus suam carnem et sanguinem obtulit, et nunc in Ecclesia offertur. Hoc enim nos Doctores sacri allegati docent; hoc confitetur Ecclesia; hoc discernit Concilium Tridentinum sess. 22 cap. 1. Tamem huius similitudinis non fecit mentionem Paulus in epistola ad Hebraeos, ob eam causam quae sequenti capite explicabitur.

Caput 14. De solutione cuiusdam difficultatis.

[53] Ut ea, quae dicta sunt, dilucidiora fiant, illud est examinandum, an Christus sacrificium, quod in cruce peregit, fecerit secundum sacerdotium et ordinem Melchisedech; adeo ut, licet in Coena non obtulisset se sub speciebus panis et vini, dici posset sacerdos secundum ordinem Melchisedech in aeternum. Duo obstare videntur. Primo quidem, quia sacrificium crucis fuit cruentum, oblatio vero Melchisedech incruenta, panis scilicet et vini. Secundo, quia illud semel peractum est, at modo incruentum permanet in Ecclesia igitur non illius, sed huius ratione dici potest sacerdos in aeternum. Nam ipse nunc in Ecclesia per ministros suos sacerdotes se incruente offert usque ad saeculi consumptionem.

[54] Respondendum est huic difficultati quibusdam dictis. Primo quidem, Christus eo sacerdotio, quod habuit secundum ordinem Melchisedech, se obtulit in cruce pro nostra salute et peccatorum omnium redemptione. Hoc est omnino certa fide tenendum. Christus enim non habuit aliud sacerdotium, quam quod fuit secundum ordinem Melchisedech. Si igitur se in cruce obtulit, procul dubio tamquam sacerdos, secundum ordinem Melchisedech id fecit. Confirmat hoc Paulus ad Hebr. 5 [6s], ubi sic inquit: *tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech; qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere a morte cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Haec Paulus. Ubi vides Christum, tamquam sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, obtulisse preces et supplicationes cum lacrymis et clamore; igitur eodem sacerdotio se ipsum obtulit in mortem.

[55] Secundo, ipsa oblatio cruenta crucis in se ipsa quamdam habuit similitudinem cum oblatione Melchisedech, adeo ut non solum sacerdotium ipsum, sed et oblatio dici possit et debeat secundum ordinem et similitudinem illius. Ratio huius potissima est, quia Christi caro et sanguis non solum manducatur et bibitur realiter sub sacramento, speciebusque panis et vini, sed spiritualiter etiam per vivam fidem; ipse enim est panis et potus spiritualis. Duplicemque manducandi et bibendi carnem et sanguinem eius modum sacri Doctores tradunt: realem sacramentalem, et spiritualem; igitur sacrificium crucis, quo caro et sanguis Christi [F. 19v] offeruntur, similitudinem habuit cum oblatione panis et vini Melchisedech. Confirmatur eo quod Paulus ad Hebr. 7 et 8, cum Christum docuerit sacerdotem secundum [ordinem] Melchisedech et similiter tradiderit sacerdotem habere debere quod offerat, non meminit alterius oblationis quam cruentae in cruce per realem mortem exhibitae; ergo vere secundum ordinem Melchisedech fuit.

[56] Tertio, consequitur ex his, Christum, etiam si non se obtulisset in Coena, sacerdotem debere dici et esse secundum ordinem Melchisedech, cum eius sacerdotium non fuerit secundum legis mandatum, nec temporale, quale erat legis; ea enim de causa dictus est [a] Paulo secundum ordinem Melchisedech. Dicit quispiam: cur Paulus non meminit huius oblationis, quae facta est nocte Coenae? Quidam existimant meminisse in principio capitis octavi. Sed id dictum procedit quia legitimum Pauli sen-

sum non percipiunt. Nihil enim ibi de ea oblatione loquitur. Vera et legitima responsio est, Pauli intentum fuisse, ostendere contra iudaeos sacerdotium legis cessaturum adventu Christi, et consequenter legem ipsam; idque probat, quia Christus futurus erat sacerdos secundum ordinem Melchisedech in aeternum; igitur sacerdotium Aaron cessare debuit et transferri in sacerdotium secundum Melchisedech, quod diversum erat ab Aaronico, eo quod hoc illud non erat secundum legis mandatum, hoc vero sic. Hoc satis erat Paulo ad suum intentum, nec necesse illi erat differentiam oblationis proponere, cum sacerdotia ipsa docuerit et probaverit fuisse diversa ⁽¹¹³⁾. Altera ratio huius fuit, quia sacrificium praecipuum Christi, ad quod sacerdos institutus fuerat, illud est, quod in cruce peregit. Hoc nos redemit, hoc Patri satisfacit, hoc ipse in sancta sanctorum, Dei nempe caeleste regnum, ingressus est, sicut sacerdos Aaronicus per sanguinem animalium intrabat in sancta tabernaculi terreni. Oblatio autem illa sub speciebus panis et vini in memoriam quamdam illius cruenti erat et ab eo accipiebat suam efficaciam. Idcirco nullam huius ibi fecit mentionem, quasi suo proposito non esset necessaria.

[57] Superest ergo ad duo obiecta respondere. Ad primum quidem fateor unam oblationem esse cruentam, alteram incruentam. Sed non in hoc est similitudo; sed in eo quod caro illa et sanguis, quae cruenta offerebantur, panis et potus erant spirituales, vitam spiritualem conferentes ¹, iuxta illud Io. 6 [54]: *nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; iuxta multorum interpretationem. Adde quod sacerdotium ipsum erat secundum ordinem Melchisedech, quia sine successione carnis, non secundum legis mandatum; licet hostia ipsa non esset similis. Nam tamquam sacerdos secundum ordinem Melchisedech obtulit preces et supplicationes; quas tamen non legimus Melchisedech obtulisse.

[58] Ad secundum respondeo Christi oblationem, etsi in se semel sit peracta quantum ad actum, tamen quantum ad virtutem et efficaciam perpetua est multisque aequivalet. Cum enim perfectissima et [F. 20] efficacissima fuerit, non est cur repetatur; semel enim oblata, salutem omnibus obtinuit redemptionemque

¹ Ms. conferentem

(113) Cf. FR. TOLETUS, *In Summam Theologiae S. Thomae Aq. enarratio*, De sacrificio Missae, contr. 2, obiect. (4, 332).

perfecte operata est. Quod Paulus docet Hebr. 7 [27]: *Qui non habet, inquit, necesse quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.* Hoc fecit semel se offerendo. Et capite 9 [28]: *Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata.* De hoc tamen, capite sequenti exactius dicemus.

Caput 15. De alterius difficultatis solutione.

[59] Difficultas occurrit, quomodo Christus dicatur sacerdos in aeternum. Quidam recentiores existimant sacerdotium Christi dici perpetuum seu aeternum, quia non succedet ei alterum (sicut sacerdotio Aaronico successit Christi sacerdotium), quod in finem saeculi permanebit; post consummationem autem saeculi non futurum amplius Christi sacerdotium, cum iam non sit oblatio, aut sacrificium. Haec doctrina adversaria est fidei catholicae, secundum quam tenendum est, Christum sacerdotem esse sempiternum, etiam post saeculi consummationem; idque multis et convincentibus rationibus demonstratur.

[60] Primo quidem, ex unctione ipsa. Unctio Christi manet in aeternum; igitur et sacerdotium. Non enim esse¹¹ potest unctio sacerdotalis sine ipso sacerdotio. Antecedens autem nemo catholicus negabit. Unctio enim ipsius est divinitas unita humanitati; Act. 10 [38] *Unctus est Spiritu Sancto.* Ex unione igitur habet sacerdotium, ut docte multis tradit Damascenus Orat. 1 de Nativitate B. Virginis⁽¹¹⁴⁾. Cum ergo illa permaneat, permanebit etiam consummato saeculo sacerdotium.

[61] Praeterea secundo, tabernaculum, in quod Christus ingressus est ut sacerdos, est aeternum, ut docet Paulus ad Hebr. 8 [1155]; ergo et sacerdotium est aeternum.

[62] Praeterea tertio, Melchisedech typus est Christi in eo quod sacerdos fuit, cuius utriusque finis in Scriptura non fit mentio; ergo et ipse Christus est sacerdos perpetuus. Si igitur sacerdos esset usque ad consummationem saeculi, iam finem haberet, nec esset similis Melchisedech.

[63] Praeterea quarto, Christus rex similiter est et sacer-

¹¹ *Ms.* esset.

(114) No hemos logrado identificar este pasaje.

dos; et in hoc etiam similis est Melchisedech. At regnum Christi est aeternum et omnium saeculorum; ergo et sacerdotium. Sicut in Melchisedech tam antiquum fuit regnum, quam sacerdotium; neutriusque finis Scriptura meminit. Praeterea ex Paulo Hebr. 7 [16]: *Christus factus est sacerdos, non secundum legem mandati carnalis, sed secundum virtutem vitae insolubilis*; at vita haec aeterno insolubilis est; ergo et sacerdotium. Rursusque ibidem [Hebr. 7, 24]: *Christus, inquit, eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium*; igitur, sicut in aeternum manebit post mundi consummationem, ita etiam manebit sacerdotium.

[64] Praeterea quinto, ex Paulo Hebr. 9 [115]: *Christus per proprium sanguinem introiit semel in sancta, aeterna redemptione inventa*. Perpende sensum Pauli. Distinguit enim et similiter comparat sacerdotem summum Aaronicum Christo: ille semel in anno introibat in sancta per sanguinem hircorum; at Christus per proprium sanguinem semel introiit in sancta, non [F. 20v] manu hominum facta, sed caelum ipsum; rursus non singulis annis semel, ut illi sacerdotes intrabant in templum terrenum, sed semel, cum redemptionem aeternam unico sacrificio invenerit et consummaverit. Sicut igitur sacerdos Aaronicus in sancta ingressus per sacrificium hircorum non desinet ^m esse sacerdos, etiamsi nunquam aliud sacrificium facturum esset, ita Christus ingressus per proprium sanguinem in caelum, non desinet ⁿ esse sacerdos in aeternum, cum aeterno ibi maneat. Ex quo solvitur argumentum illorum recentiorum. Non, inquit, sacrificabit in aeternum et post saeculi consummationem; non ergo erit sacerdos. Respondeo: satis est uno sacrificio omnia consummasse et per illud ingressum esse in sancta, ubi manet perpetuus sacerdos, manente redemptione eius, quam operatus est, et sacrificium virtute aeterna.

[65] Praeterea confirmatur sexto. Nam Paulus in illa epistola ad Hebraeos interpretatur illud David "tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech" impleri et verum esse, etiam non habita ratione ad oblationem in Coena sub speciebus panis et vini; ergo etiam si illa non esset, sacerdos esset Christus in aeternum per oblationem factam in cruce. Quod comprobatur ex verbis ipsius Hebr. 9^o in principio: cum enim dixisset Christum esse sacerdotem tabernaculi non manu facti, sed caeles-

m *Ms. desinetur*

n *Ms. desinetur*

o *Ms. 8*

tis [Hebr. 9, 11s], et adiunxisset omnem pontificem debere habere aliquid quod offerat [Hebr. 10, 11ss], non facit mentionem alterius oblationis quam cruentae; quasi per hanc sit pontifex tabernaculi caelestis. Quod si nunc per ministros se incruente offert, verum quidem est, et secundum ordinem Melchisedech facit; tamen haec incruenta memoria est cruentae et ab ea efficaciam habet, non tamen per eam ingressus est in sancta caelestia, sed per cruentam et per sanguinem in cruce effusum.

[66] Quod si obicias, catholicos nunc probare contra haereticos sacrificium Missae, quia Christus est sacerdos in aeternum, ergo habet nunc sacrificium, quod offerat, nempe incruentum, respondeo hoc argumentum non esse efficax. Uti enim diximus, sacerdos in aeternum est, etiam cessante Missae sacrificio et per cruentum ipsum, per quod ingressus est in sancta, aeterna redemptione inventa. Nec nos probamus sacrificium Missae eo argumento, sed aliis potentioribus et efficacioribus, de quibus agere non est instituti huius.